



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XXXV. De purgatione vulgari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



juxta Concilium Illerdense in cap. Presbyter, 2. q. 4. ibi: Ne populus fidelium scandalum patiat. Quare ubi scandalum, aut infamia non adest, talis purgatio indicenda non est, quia ut ait Cornelius Papa in cap. sacramentum 2. q. 4. Sacramentum à summis sacerdotibus, vel reliquis non nisi pro recta fide exigitur.

9. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam licet in causis civilibus regulariter actore non probante, reus absolvatur; tamen in criminalibus Ecclesia exigit, ut reus probet suam innocentiam, aut saltem cum gravis infamia, inde orta est, vel scandalum in populo adest, ut etiam jure civili in gravioribus criminibus, veluti Majestatis, desertæ militiæ, peculatus, non tantum accusator ea, quæ objecit, probare debebat, verum etiam reus, alioquin non absolvebatur, et si actor in probatione deficeret, quia purgatio ex parte rei desideratur, l. fallaciter, in fine C. de abolit. Sicut enim in causis civilibus, si dubiæ sint, adsintque conjecturæ, actore non probante reus non absolvitur, sed iudex desert juradū reo, vel actori, l. admonēdi, ff. de jur. and. l. 3. C. de rebus creditis, Novella 124. Justin. Ita etiam in criminalibus, actore non probante, si causa dubia est, propter infamiam & scandalum purgatio per juramentum rectè reo deferretur. Nec obstat textus in d. cap. 1. de accusat. què in

ejus commentario exposui. Nec obstat augmentum deductum ex eo, quod jusjurandum deferri non possit à iudice reo in causis criminalibus. Nam licet satis controversum sit, an jusjurandum deferri possit reo, tam ab actore, quam iudice, in causis criminalibus; placet tamen sententia Fornerii dicit. cap. 5. Bronchorst. enantioph. cent. 2. assert. 27. qui asserunt, iudicem tantum purgationis causâ juramentum deferre posse, actorem verò in causis criminalibus civiliter intentatis, non verò criminaliter, illud deferre posse; qui varia jura exponunt. Nec obstat, quod dicebamus, hoc genus probationis fallax esse: tum quia testes in eo deponunt de credulitate: tum quia facillè inter eos collusio dari potest; nam quando testes compurgatores, qui debent esse vicini, juxta supra tradita, deponunt se credere reum jurantem verum dicere, rationem depositionis reddunt, videlicet quia ut vicini, si aliàs esset scilicet delictum admittum, non ignorarent: & ideo testes deponente se scire, qui vicini sunt, plenam probationem facere, post Bartolum in l. 1. ff. de rebus creditis, probat Fachineus lib. 11. contr. cap. 69. per totum. Quod autem colludere possint, non est attendendum, cum nemo credatur immemor salutis æternæ, & cum iuramento omnes illi deponant.

## TITULUS XXXV.

### De purgatione vulgari.

#### CAPVT I.

##### Celestinus III.



Vra suscepti regiminis nos inducit, ut fratrum nostrorum debeamus respondere consultationibus, & ab eis, quantum humana fragilitas permittit, dubitationis scrupulum amputare. Inde est, quod cum tua fraternitas duxerit Sed. Ap. consulendam, utrum super Ecclesiarum præsentationibus duella debeant sustineri? tuâ duximus sollicitudini respondendum, quod in eo casu, vel in aliis etiam hoc non debes aliquatenus tolerare.

#### NOTÆ.

Celestinus III. ) Ita etiam legitur in cap. unio. hoc tit. in 2. collect. & in cap. 2. de cleric. pugn.

in duello, in eadem collect. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

#### CAPVT II.

##### Idem Priori sancti<sup>a</sup> Sergii Spoletani.

Significantibus Vv. laico, & fratribus ejus, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quo cum quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo præter terræ consuetudinem coacti sunt inire duellum, in quo aliis peccatis suis præpedicibus ceciderunt: propter quod post appellationem ad nos<sup>b</sup> interpositam, per Consules Spoletanos bonis fuerunt propriis spoliati: nunc verò furtū apud alios est inventum, &



& quod ipsi fuerint innocentes, est favente Domino revelatum. Vnde consulis ipsi dedimus in mandatis, ut ablata restituant universa. Ideoque disc. t. per A. f. m. quat. si ipsi mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit ap. rem. decernas, faciens quod decreveris, per censuram ecclesie sitam firmiter observari.

## NOTÆ.

1. **S**ancti Sergii. Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. unic. nullam tamen legi Ecclesiam sancti Sergii sacularem, vel regularem in diocesi Spoletana: quare credebam in presenti referre Innoc. III. Priori sancti Petri, quod monasterium est canonicorum regularium extra portam Spoletinam, cuius Priori, & clericis referre idem Innocentius lib. 1. epistol. de quo monasterio agit Pennotus lib. 2. hist. canon. regul. cap. 17.

2. **Ad nos interpositam.** Spoletum enim antiquissima Umbriae urbs, Longobardorum Principum sedes diu fuit, sed superato Desiderio ultimo Longobardorum Rege, Carolus Magnus Ducatum Spoletanum Pontifici donavit, & postea Pontifex Duces spoletanos constituit, & tempore Alexandri III. ab Imperatore Friderico excidium passa est. Tandem restaurata, redactaque ad pristinum statum, suave Pontificum iugum accepit, ut refert Vghellius tom. 1. Italia sacra, fol. 161.

## COMMENTARIUM.

3. **I**nter alias purgationis vulgaris species precipua fuit apud antiquos duellum, seu monomachia, ut constat ex legibus Bajubar. tit. 5. cap. 15. ubi jubentur antiquae controversiae decidi per campioni, id est pugiles, qui alieni dissidii dirimendi causa operas suas locabant, tit. 2. legum Longobard. cap. 77. 82. & 110. quod duellum etiam in causis ecclesiasticis adhibebatur. Adrevaldus Floriacensis lib. 1. de miraculis sancti Benedicti, cap. 20. ubi mota quaestione de mancipiis B. Benedicti ait: Tandem adjudicatum est, ut ab utraque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scitis, ac baculis decertantes, suam controversiam imponerent: sed cum illud iustum, rectumque iustum fuisset omnibus, quidam Vastiensis regionis

legis, &c. iudicium protulit, non esse rectum, ut bello propter res ecclesiasticas testes decernerent. Afferam epistolam, quam ex collectione Decretalium MS. quae Alexandri IV. nomine inscribitur, transcripsit Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 2. regeft. 14. sic: Corruptela in plerisque locis Franciae, ut accepimus inolevit, quod videlicet quando Ecclesiarum homines de corpore ad alienum dominium se convertunt, si eos vestrum aliqui, quorum ipsi sunt homines, sorte conveniunt coram iudice competenti, necesse habent suam per duellum intentionem fundare, alioquin ab actione proposita, repelluntur, licet per testes, & alia documenta legitima intentionem ipsam velint, vel valeant comprobare. Cum igitur clerici absque sui ordinis periculo duella suscipere nequeant, vel offerre, pro eo quod sive per se, sive per alios in duello pugnaverint, ipsos ab executione sacrorum ordinum canonica constitutionis severitas alienat: Nos huic prave consuetudini remedium quo possumus obviare volentes, & duellorum, praesertim cum de rebus ecclesiasticis agitur, penitus interdicentes ab usum, quo Deus tentatur, & vera sapientia pervertuntur, ut in quibuslibet iudiciis omni probationum genere succumbentibus: propter hoc contra tales sententia, seu executio quaecunque processerit, eadem, & quidquid ex ea sequutum fuerit, vel ob ipsam, nullius penitus sit momenti. Sed tandem ut duella generaliter prohibita fuerint, ut probavi in cap. 1. de clericis pugnantibus in duello; ita haec, maxime quae purgationis causa suscipiuntur, ut quae Deum tentare videantur, cum etiam in his sapius & noxii fortuna pepercit, & infontes oppreserit, cap. cum monomachiam 2. q. 5. cap. sententiam, ne clerici vel monachi. Illustrant Delrius lib. 4. disquisition. magic. c. 4. q. 5. sect. 2. Alecius lib. de singulari certamine, Hothomanus de feudis cap. 44. Juretus in notis ad Carnot. epist. 168. Pichardus ad epist. 30. sancti Bernardi, Gibalini de universa negot. tom. 2. lib. 6. cap. 3. art. 8. num. 42. late illustravi in dicto cap. 1. de clericis pugnantibus.

## CAPVT III.

## Honorius III.

**D**ilecti filii noviter in Livonia baptizati gravem ad nos querimoniam destinant, quod fratres Templariorum ordinem in Livonia profitentes, & alii quidam advocati, & iudices, qui temporalem in eos potestatem exercent, si quando de aliquo crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt: quibus si qua exinde sequatur adustio, civilem poenam infligunt: quare conversis, & convertendis scandalum incutiunt, & terrorem. Cum igitur huiusmodi iudicium secundum legitimas, & canonicas sanctiones sit penitus interdictum, utpote in quo Deus tentari videtur, mandamus quatenus fratres dictos, & alios, ut ab huiusmodi converterum gravamine omnino desistant, monitione praemissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota compellas.



1. <sup>a</sup> **H**onorius III. Ita etiam legitur in quinta, compilatione, sub hoc titulo capite unico; nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex: credit tamen Cironius in præfenti legendum esse Archiepiscopo Rigensi. Riga enim est Metropolis Livonia, de cuius provinciæ conversione, jam egi in cap. Deus, de vita & honestate cleric. cap. final. de divori.
2. <sup>b</sup> **Templariorum.** Non accipias Templarios in præfenti pro illis, qui extincti fuerunt tempore Clementis V. de quibus egi in cap. 16. de iudiciis, sed pro fratribus, & Equitibus Iesu Christi; nam per annos 1197. apud Livoniam, & Poloniam institutus fuit ordo Iesu Christi, ut religiosi in fide Livonios instruerent, & etiam armis contra hæreticos pugnant: quem confirmavit Innocentius III. sub regula sancti Basilii. Thesera fuit duplex, ensis rubeus in modum crucis super togam candidam. Crevit admodum ordo hic tum in Livonia, tum in Polonia; floruitque per annos 1357. usque ad annum 1550. cuius Militiæ meminerunt Arnoldus Lubecensis lib. 7. cap. 9. Marquez in thesauro Militiarum Equestrum, fol. 52. Pater Mendo de Ordinib. Milit. disquisit. 1. §. 14. Cironius in præfenti. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 139.

## COMMENTARIUM.

3. **EX** hoc titulo sequens communiter deducitur assertio: Purgatio vulgaris nec in causis civilibus, nec in criminalibus admitenda est. Probant eam textus in cap. consuluisti, cap. Menam, cap. monomachiam 2. q. 5. cap. sententiam, ne clericis, vel monachi. Sylvester II. in epistola missa Lamberto Episcopo Maguntino ibi: Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt canones: & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosâ ad inventionem non est præsumendum. Luo Carnot. epist. 91. Vulgarem denique legem, ac nulla canonica sanctione fulciam, ferventis scilicet, sive frigide aquæ, ignitque ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inventionis, quia fabricante hæc sunt omnino facta invidiâ, nec ipsam exhibere, nec ab aliquo te volumus postulare, immo Apostol. c. auctoritatē prohibemus firmissimè. Concil. Palentinum anno 1322. Vulgaris purgationis abusum per canones interdictum, quo suspecti de criminibus ad se purgandum ferrum candens, aut aquas ferventes accipiunt, detestantes, statumus, ut mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc ferrum, vel aquam huiusmodi, cum his Deus tentari videatur, & innocentes in huiusmodi purgationibus sine demerito puniantur, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto. Carnotensis epist. 74. 205. 252. & 280. D. Thom. 2. 2. q. 95. artic. 8. ad 3. Illustrant ultra congestos à Barbofa in præfenti, Petrus Gregor. lib. 42. syntag. cap. 15. & lib. 3. partit. tit. 13. cap. 2. Panciroka lib. 1. var. c. 84. Durantius Casellius lib. 2. var. cap. 1. & 2. Robertus lib. 1. rer. judic. cap. 11. Landtmeter. de veteri clerico. lib. 2. cap. 74. Saabedra in chron. Goth. p. 10. circa finem, Novarinus in lib. aquæ nupt. Villadiego in l. 3. tit. 1. lib. 3. fori. Bosquetus ad Innoc. III. lib. 2. epist. 136. Lindembrog. in Glossar. legum antiq. verbo Aqua, Iudicium aquæ, & Vomeris: Iuretus in notis ad Carnot. epist. 74. Theoph. Rainaud. in oplothec.

de calumn. sect. 3. cap. 1. per tot. Spondanus in epit. Baronii, anno 890. Mornacius in l. 5. §. 2. ff. de iurejur. Cujac. in lib. 1. feudor. tit. 1. Hothomanus de regim. feudis, cap. 44. P. Salcedo ad D. Thomam. de regim. Princip. lib. 3. cap. 6. dissert. 34. Fornerius lib. 6. rer. quotid. cap. 28. Hanfenius de iurejur. cap. 28. Gibalinus tom. 2. de univers. negot. lib. 6. art. 8. Deltrius lib. 4. disquisit. q. 4. sect. 2. 3. & 4. & q. 5. sect. 1. cum sequent. Sanchez lib. 2. summe, cap. 39. & 40. Osiwaldus lib. 17. Donel. cap. 2. litt. M. Covar. 4. var. 23. Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 48. num. 2.

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti consideratione, nam apud omnes & in omni religione, Hebræica videlicet, Gentilica, & Catholica, observatum legitimus hoc genus purgationis vulgaris, per quod innocentiam Deus sapè monstravit, ideo iudicium Dei appellari meruit, apud Hæbræos constat ex cap. 5. Numer. ubi Dominus iussit, quod si mulier accusata de adulterio illud negaverit, nec probare poterit, quod offerat sacrificium zelotypiæ super altare, & sacerdos aquas amarissimas in vase fictili exccratas maledictione cum parvitate terræ effundat super eam, & dicat: Si non dormivit vir tecum, & es non polluta, non tibi nocebunt aquæ istæ: si autem declinasti à viro tuo, & concubisti cum altero, his maledictionibus subjacebis: det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum; putrescere faciat femur tuum, & dirumpatur uterus tuus. Et tunc debet dicere mulier: Amen, Amen. Et si his factis mulieris uterus dirumpatur, manifestum adulterium est, & mulier erit in maledictione, & in exemplum omni populo; si verò polluta non fuerit, liberos poterit procreare. Referunt in cap. in libro namq. 21. 2. quest. 5. & tradunt Becanus in analog. cap. 22. Philo de specialibus legibus, P. Stephanus Menochius lib. 3. de Repub. Hebræor. cap. 22. Seldenus lib. 2. uxor. Hebræic. cap. 3. Apud Gentiles etiam examen hoc per ignem, seu aquam, usitatum fuisse, constat ex Sophocle in Antigono, ubi refertur, quod cum Creon Rex publico edicto, mortisque penâ indictâ, corpus Pollinici sepeliri prohibuisset, & Antigonus fratrem clam sepelisset, custodes Regii semetipsum in vicem gravi ter incusare cœperunt; cumque ea de re conitari non posset, nuncium Regi Creonti omnes illi custodes miserunt, qui præter alia ad innocentiam eorum comprobendam hæc edidit.

Nemo deprehensus est, nosque latuit.

Sumus verò parati, & candens ferrum manibus tollere,

Et per ignem serpere, Deosque jurare,

Nec nos fecisse, nec fuisse confisos, &c.

Et narrat Varro, Vestalem virginem, cum perclitaretur falsâ suspitione de stupro, cribrum implessè aquâ de Tyberi & ad suos iudices nulla ejus parte stillante portasse. Cui etiam aliud virginis Vestalis factum simile refertur Livius lib. 2. de bello punico, Valer. Maxim. lib. 8. Ovidius in Fast. 4. D. August. lib. 10. de civit. Dei, cap. 16. quod & D. Hieronymus, lib. 1. advers. Iovin. his verbis refert: Claudia virgo Vestalis, cum in suspitionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hereret, ad comprobendam pudicitiam suam cingulo duxit navim, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Eustachius lib. 7. & 11. de amonibus Ismenii, ait, Artecormii, & Daphnopolis fontem



fontem fuisse, in quem si virgo intaret, aqua perlucidam maneret; si vero vitata, turbida continuo redderetur. Similis fons propè Epheum memoratur, Stygii nomine vocatus, de quo Achilles Tacius lib. 8. de amoribus Clitoph. pag. 206. ita: Cum violata aliqua pudicitia arguitur, tum in fontem descendere compellitur, cuius unda vix medias tibias attingit: iudicium autem fieri hoc pacto consuevit. Quae delata est, falsò se insimulari jurat, iusjurandumque in tabella descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit; ac si verum iusjurandum iuraverit, aqua omninò immota manet; sin minus, intumescit, atque ad collum usque se attollens, tabellam contingit. Similis etiam fontis mentionem faciunt Arist. in lib. 2. de admirandis auditionibus, Diodorus Siculus lib. 2. Biblioth. Sic aqua tingebant oculos juratores in Sardinia. Plinius lib. 3. cap. 2. & in Germania esse flumen Rheni ubi filii recenter nati exponuntur, ut si supernant, legitimi credantur, si vero submerguntur, adulterini iudicentur, referunt Cluverius lib. 1. Germania antiqua, cap. 2. 1. ibi: Certè Celtis injuriam nullam facit Rhenus, qui spurios infantes undis abripit, tanquam impuri lecti vindex; quos autem non spurio semine natos agnovit, hos in summa aqua suspendit, matrisque tremens manibus reddit, & quasi verum, incorruptumque casti, & laudabilis conjugii testimonium, servato infante persolvit. Claudianus ibi:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.  
Idem videntur asserere Theophylactus, & Eustathius, & quod magis est, Gregorius Nazianzenus hoc versu.

Celtra quidem explorant prolem, Rhenique fluente  
Exponunt.

Quare Nonius dixit, Rhenum esse velut iudicem vindicemque conjugii. Novarin. lib. 6. aque nap. cap. 8. Apud Catholicos non defunt exempla priorum fidelium, qui hoc probationis genere usi sunt. Laëtantius lib. 2. cap. 7. ibi: Brigida virgo in Scotia, cum lignum altaris in testimonium virginitatis tetigisset, viride factam fuit. B. Bricius Episcopus Turonensis, cum falso criminis accusaretur ad satisfaciendum populo ardentem prunas in hyrrum suum posuit, & ad se stringens, usque ad sepulchrum B. Martini, una cum populorum turbis accedit, projectisque ante sepulchrum prunis, vestimentum ejus inustum apparuit, ut refert Gregorius Turonensis lib. 2. hystor. cap. 1. quod etiam de Montano Toletano Archipræsule refert D. Hildefontus in præfatione de viris Eccles. his verbis: Montanus Sedis ejusdem Beatissimus Præsul, ut à se conjugalis conversationis infamiam propulsaret, tandem adsumptis veste candentes narratur tenuisse carbones, donec Domino consecrans oblationem totius, per semetipsum compleret Missa celebratam. Quod referunt Mariana hyst. Hispan. lib. 5. cap. 6. Saabedra in Corona Gothica, cap. 10. Beata Hildegundis cum furti accusaretur, ferro candenti innocentiam suam ostendit, ut ex aliis refert Manrique tom. 3. annal. Cisterc. anno 1146. cap. 7. num. 8. Et similia exempla congesserunt Casarius lib. 10. de miraculis, cap. 35. Turonensis de gloria Confessorum cap. 76. Krantzius lib. 8. Vandalia, cap. 3. Trithemius in chron. cap. 22. Nicephorus Calixtus lib. 15. hystor. cap. 28. Ergo non rectè in præfenti doctetur, similem probationem per ignem, aut aquam ferventem fieri non posse, cum alio modo plerumque innocentia monstrari nequeat. Carnot. epist. 252. Non negamus tamen, quin ad divina ali-

quando recurrendum sit testimonia, quando precedenti ordinaria accusatione, humana desunt testimonia; non quod lex hoc instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, purgationem vulgarem sic dictam esse, quia superstitione potius populi, quam sacris canonibus introducta est, cap. monomachiam 2. q. 5. que purgatio triplici modo apud veteres contingebat: per ignem videlicet, per aquam ferventem, & frigidam. Prima, qua fiebat per ignem, aut per rogam, per ferrum cadens, aut vomeres fiebat, ut referunt Delrius lib. 4. diq. magic. cap. 4. sect. 3. Petrus Gregor. lib. 48. syntagm. cap. 15. & variis exemplis probat Besoldus tom. 2. polit. dissert. 2. de penis. cap. 5. fusè Beyerlinch. tom. 4. in Theatro, verbo Innocentia. Philippus Camerarius cent. 2. horar. success. cap. 18. Putabant enim etiam Gentiles expiationem igne faciendam esse. Virgilius lib. 6. Aeneid. ibi:

— Scelus exuritur igne.

Et lib. 11.

— Medium freti pietate per ignem

Cultores mod. à premium vestigia prunæ.

Ita auctore Heliodoro lib. 10. apud Æthiopes sacer focus erat, qui dicebatur infallibile innocentium experimentum: unde Festus Pompeius hoc genus purgationis suffictionem vocat. Et apud Romanos cum festa Pallia celebrabantur, acervos fœni, & stipularum ardentem saltu trajiciebant, & ita puros, immunesque remanere se credebant, ut referunt Varro lib. 3. de re rustica, Ovidius lib. 4. Fastor. ibi:

Moxque per ardentem stipula crepitantes acervos  
Trajicias celeri strenuum membra pede.

Illustrant Tiraquel. in notis ad Alexandrum, cap. 18. D. Ioannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 3. cap. 6. sect. 3. Simile est quod de traiectione per ignem legitur à veteribus Christianis servatum apud Theodoretum relatum à Casaubono, & latine versum à D. Ioanne Suarez ubi supra, in hæc verba: Fere pro comperto habeo, famam, que ad nos pervenit, speciem erroris continere. Vidi in quibusdam civitatibus huiusmodi morem, in plateis nempe compositos ignes, & hos transilire non solum pueros, sed etiam & viros, matresque infantes per flammam transmittere: sed & hoc quidem ipsis sibi videbantur purgari, & Deitram amovere. Qui quidem mos damnatus fuit in 6. Synodo Trul. can. 65. his verbis: Quia in novilunio a quibusdam ante suas officinas, & domos concendantur rogi, supra quos etiam antiqua quaedam consuetudine salire ineptis, ac desalire solent; jubemus deinceps cessare. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem clericus deponatur; sin autem laicus, segregetur. Illustrant Ballamon ibi, Suarez ubi supra, qui n. 8. agit de usu apud Christianos accendendi rogos in nocte sancti Ioannis Baptistæ. Hæc autem purgatio per ignem maximè inolevit apud Francos, Longobardos, & Gothos, à quibus Hispani acceperunt, ut constat ex lege Salica in cap. 1. §. 1. lib. 1. tit. 10. legum Longobard. Regino Abbate anno 887. ibi: Illa e contra non solum ab eius, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse proficitur, & de virginitatis integritate gloriatur, idque se probare, Dei omnipotentis iudicio, si marito placet, aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum examine iudicialiter affirmat. Hermoldo lib. 1. c. 84. Inhibiti sunt Sc-

5.  
De purgatione per ignem.

laci



laci de cetero jurare in arboribus, fontibus, & lapidibus, sed offerebant criminibus pulsatos sacerdoti, ferro, & vomeribus examinandos. Et l. 3. tit. 1. lib. 6. fori iudicium, ubi iubetur purgationem fieri iuxta legem Caldariam: & in foro legionis, ac Bæzæ ita legitur: La muger que abortare sabidamente si mal fecho fuere, sea quemada, è sinon salbese por fierro caliente: è si alguna dixere, que prestada es dalguno, y el varon no la creyere, prenda fierro caliente: è si quemada fuere, no sea creida, mas si sana escapare de el fierro, de el sijo al padre. Muger si legare omes, ò bestias ò otras cosas qual pueden legarse, sea quemada; è si negare, salbese por fierro caliente. Et si varon fuere legador sea aotado, è si negare, salbese por lid. Muger que herbolaria fuere, ò sechisera, sea quemada, ò se salve por fierro caliente. La muger que su marido matare, sea quemada ò se salve por fierro caliente. Toda muger que tales cosas faze, debe prender fierro, mas no por omecillo que ella faga, si non fuere probada por mala que aya jaciendo con cinco omes. Ritus, quo olim ferrum candens prescribatur ad purgationem, refertur in formula s. Dunstani. Incipit adiuratio ferri. In simplo unam pondus, in triplo tria ferrum equiparet pondera, & in illa adiuratione non adsint nisi jejuni 3 & dicitis Litaniis sacerdos in loco ubi ferrum accenditur, adiurationem initiando inchoet. Subduntur tres orationes quarum unam ex Auentino refert Philp. Camer. cent. 2. horar. succ. in hæc verba: Deus iudex justus, qui auctor pacis es, & iudicis æquitate: te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad justam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere, & sanctificare digneris: ita ut si innocens hoc ignitum in manum acceperit, illa sus appareat, & si culpabilis, atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua in eum virtute declarandum. Alias hujus adiurationis formulas tradit Novarinus lib. 6. aque nuptialis, capite 8. Et statim his peractis aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandum, & aspergatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiat, & per mensuram novem pedum portetur: manus sigilletur, sub sigillo servetur, & post tres noctes aperiat, & si mundus est, Deo gratuletur. si autem insanus crudescens in vestigio ferri inveniat, culpabilis, & immundus reputetur. Refert Pitheus in glossario, verbo Purgatio. In dicto foro Bæzæ etiam hæc forma prescribitur: El fierro que por justicia facer, fuere fecho, aya quatro pies assi altos, que la que à salvarse ouiere la mano pueda meter de suso, aya en longo un palmo, y en ancho dos dedos, è quando le tomare l'hebele ocho pies, è pongal suavemente en tierra: mas antel bendiga el missa. antano, è despues el y el luez calienten el fierro, è mientra el fierro calentare, ningun ome este cerca del fuego, que por aventura faga algun mal fecho: è la que el fierro ouiere à tomar, primero confesse muy bien, è despues sea escodriada, que no tenga algun fecho escondido, è de si lave las manos ante todas, è las manos alimpiadas, prenda el fierro: mas ante fagan oracion, que Dios demuestre la verdad, è despues que el fierro oviese levado, luego cubra el luez la mano con cera, pongal estopa, ò lino, è despues atenguela con un panno, ò lieve, el luez à su casa, è a cavo de tres dias cate la mano, è si fuere quemada quemenna. Et hoc iudicium non quolibet tempore admittebatur, veluti diebus festivis, & jejuniis, sed quibus pax, & concordia inter Christianos habebantur, & omnis difertatio componebatur, ut dicitur in canone 18. Concilii Ahenamensis Anglia.

Alia purgatio vulgaris fiebat per aquam ferventem, seu calidam, ita ut in eam infamatus man-  
evassisset, delictum perpetrasse credebatur; que  
apud eadem nationes usitata fuit, ut constat ex  
legibus 29. 35. 39. tit. 9. lib. 1. Longobard. & lib. 13.  
capitul. cap. 4. & in addit. 2. §. 33. tit. 3. legum Frislon.  
§. 4. 5. & 6. Neapolit. lib. 2. tit. 3. 1. Specul. Sax. lib. 1.  
articulo. 39. ibi: Ferrum calidum ferant,  
vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum  
mittant. Concil. Rhemensis sub Hincmaro cap. 11.  
pag. 19. ibi: Hec si quisquam vestrum alter esse pu-  
tat, meque indignum, cui credatur, credit igni, ferventi-  
tia que, caudenti ferro, faciant fidem tormenta, quibus  
non sufficient meæ verba. Refert Lindembrog. in  
glossario, verbo aqua. Exorcismos, & orationes huic  
purgationi adhibitas referunt Delrio d. lib. 4. cap.  
4. q. 5. sect. 1. & 2. Pitheus in glossario, verbo aque ju-  
dicium, loretus in not. ad Carnot. epist. 74. Ex qui-  
bus unam referam, que ita habetur apud ipsam  
sub titulo benedictionis aque calide: Exorcizate  
creatura aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, &  
in nomine Iesu Christi Filii eius Domini nostri, ut has  
aqua exorcizata ad effugendam omnem potestatem  
inimici, & omne phantasma diaboli, ut si hic homo ma-  
num suam in te missurus est innocens, unde reputatur,  
pietas Dei omnipotentis liberet eum; & si, quod absit,  
culpabilis est, & presumptuosè in te manum mittere  
ausus fuerit, ejusdem omnipotentis virtus super eum  
hoc declarare dignetur, ut omnis homo timeat, & con-  
tremisat nomen sanctum glorie Domini nostri, qui vi-  
vit, & regnat, &c. Et statim post unam orationem  
dicitur: Te Deus omnipotens, nos indigni & peccatores  
famuli tui suppliciter exoramus, ut sanctum, verum &  
rectum iudicium nobis in hoc etiam manifestare dig-  
neris, quatenus hic homo ex hac reputatus causa, si per  
aliquod maleficium diabolo infligante, aut cupiditate,  
vel superbia culpabilis est in facio, vel consensu, & hoc  
comprobationis iudicium subvertere, aut violare vo-  
lens malo consensu ingenio manum suam in banc aquam  
presumptuosè mittere ausus fuerit, tua pietas taliter  
declare dignetur, ut in ejus manu dignoscatur quæ  
quod iniuste egit, ut & ipse deinceps per veram confes-  
sionem penitentiam agens ad emendationem perveniat  
& iudicium tuum sanctum, & verum in omnibus de-  
claretur gentibus, per te redemptor mundi, qui ventu-  
rus es, &c. Et missam quæ iudici vulgò dicebatur,  
refert Novarinus in Agno Eucharist. lib. 5. cap. 90.  
Succedit tertia purgatio apud eadem gentes re-  
cepta, quæ fiebat per aquam frigidam. Circa quæ  
existimat Delrius d. lib. 4. cap. 4. sect. 4. eam dupli-  
citer fieri, videlicet per immersionem personæ in-  
noxie, & per immersionem manus in aquam frigi-  
dam, cui Deus vim adurendi æquè tribueret, at-  
que aque ferventi. Sed rectè cum refellit Theo-  
philus dicta sect. 3. de calumnia. cap. 2. quæstione. 3.  
Quare eadem sententiâ omnia, verius est, in hac pur-  
gatione colligari manus, & pedes, & sic corpus  
colligatum projici in aquam consecratam certo  
ritu, de quo latè loretus in not. ad epist. 74. Carnot.  
Delrio dicit cap. 4. sect. 4. Pitheus in Gloss. ad ca-  
pitul. verbo aqua iudicium. Et si corpus mergere-  
tur, credebatur reus innoxius; si vero superferre-  
tur aqua, cenfebatur convictus, ut producit  
Dunstanus in suo Ordine, relatus à Novarino  
lib. 6. aque nupt. capite. 8. in hæc verba: Peractis  
coram sacerdote trium dierum jejuniis, cum  
hominis



homines vis mittere ad iudicium aqua frigida comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis canet Presbyter Missam, & faciat eos ad Missam ipsam offerre. Et expressus in verbis statim referendis Hincmarus Rhemenfis pro Lothario, ibi: hoc examinandus iudicio colligatus in aquam dimittitur, & aut purgatus statim iudicio arbitratorum absolvitur, aut usque ad purgationem colligatus iudicio examinabitur. Censebantur autem convicti, qui aquis superferebantur, eo quod aqua videretur eos respicere, & aque ac ferrum de manubrio elapsum, ut dicitur in adjuratione aqua sancti Dunstani apud Jurerum supra, ubi etiam hæc verba leguntur, quibus rogatur Deus aquis infundere eam virtutem, ibi: *Ut innocentes à crimine, cuius examinatio ageretur, aqua in se recipiant, & in profundum protraherent, confisos autem criminos à se repellerent, atque rejicerent; nec paterentur recipere corpus, quod ab honore bonitatis evacuatum, virtus iniquitatis allevavit, & in hunc consistit: sed quod caret pondere virtutis, pondere careat propria substantia in aquis.* Hanc purgationem ut licitam probat Hincmarus in opus. de divor. o. interrogat. 6. sed male, ut probat Theophilus dicta scilicet. 3. cap. 2. quæstio uncula 3.

His suppositis ratio præsentis assertionis, quare videlicet prohibeatur usus purgationis vulgaris, provenit ex eo, quia modus hujus purgationis alienus est ab usu Patrum Ecclesiæ, continetque tentationem Dei, à quo postulat miraculum absque necessitate, cum plura alia media veritatis exquirende, & innocentia tuenda supplicent, præstigiisque, & magiæ det locum; unde reus qui adigebatur ab Imperatore Michale Comneno, ut purgaretur per globum ignitum, id facere recusavit dicens, se non esse prestigiatorum: & cum adhuc urgeretur à Metropolitano, respondit, ut ipse sacrâ indutus stolâ manus illi ignito ferro imponeret. Refert Georgius Logotet. in chron. Constantin. Quare in hac purgatione contineri superstitionem, & Dei tentationem docent Theologum Præceptore Angelico 2. q. 95. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 80. art. 3. Suarez de irreligiosis. cap. 3. num. 8. Valentia 2. 2. disput. 6. q. 14. punct. 1. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 45. dub. 1. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 34. num. 12. Sayrus in clavi lib. 4. cap. 7. Auctor Mallei maleficar. p. 3. q. 17. & Deus tentari non debet, nec miraculum ab eo peti. Unde in Concilio Salegust. ita cautum fuit can. 6. *Conquestam est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incendium videant, Corporale dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temeraria presumptione in ignem projiciant: ideoque decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.* Etiam incertissimum est hoc iudicium (sic enim vocabat sapienter Carnotensis episcopus. 74.) agens de milite adulterii accusato, qui purgare se voluerat contactu ferri candentis, & combustus fuerat: atque cauterium militis nullum certum præbere argumentum, cum per examinationem ferri candentis occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes sæpè damnatos unde refert auctor Mallei dict. quæst. 17. in fine, famosam maleficam provocantem ad purgationem ferri candentis, cum ad iudicata esset ad illud per tres dumtaxat passus gestandum, per sex passus gestasse indemnem, & ad ulterius gestandum se obtulisse, cum tamen certo esset noxia. Alia simi-

lia exempla referunt Casarius lib. 10. de miraculis, cap. 35. Bzovius anno 1341. num. 19. Godelmus lib. 3. de magia, cap. 4. num. 35. Dubravius lib. 2. hist. Bohemie. Accedit, nam hoc iudicium redolet ritus Gentilicos, apud quos similes purgationes in usu erant. Quare Strabo lib. 5. geograph. refert sacrificulos Dea Feroniæ nudis pedibus prunas accensas inambulasse, & per aquam & sulphur purgationem ab eis factam referunt Apuleius lib. 11. de asino aureo, Ovidius de arte amandi, ibi:

Et veniant qua lustrat anus, lectumque locumq.  
Referat, & tremulâ sulphur & ora manu.

Tibullius elegia 1. Lucanus & alii apud Durantium Casel. lib. 2. var. cap. 1. Rectè ergo tot canonicis Ecclesiæ prohibuit usum hujus purgationis vulgaris.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam purgatio de qua agitur in cap. 5. Num. præscripta ad explorandum adulterium, cum esset à Deo ipso indicta, erat certa, & per stabile, & jure miraculum in tali eventu: circa usum autem purgationis, de qua agimus, nulla extat divina institutio, aut universalis Ecclesiæ approbatio, ut constet ex proximè traditis, & fuse prosequitur Crespetius de immortalitate animæ discursu 6. digress. 2. & lex illa fuit cæremonialis lata à Deo, qui illum populum specialibus legibus gubernare voluit: unde talis lex hodie fuscitari nequit, ex traditis in cap. translato, de constit. Nec obstant exempla piorum virorum supra relata; nam etsi verum sit, Deum aliquando patrocinatum esse innocentia, tamen tunc ita tulit beneplacitum ad innocentis liberationem, quia speciali instinctu propulerat ad usurpationem hujus medii, ut veritas eluceret, & calumnia revinceretur; unde regulariter iudicium hoc illicitum est.

Sed supra tradita assertioni obstat textus in can. 24. Concil. Mogunt. sub Rabano, qui extat apud Burchardum lib. 6. Decret. cap. 7. Carnotensium semper. 10. decret. cap. 136. Gratianum in cap. qui cil. Mo-Presbyterum 17. quæst. 4. in hac collect. in cap. 2. de penis, in Penit. Romano can. 1. in illis verbis: *Qui Presbyterum occiderit, duodecim ei annorum penitentia secundum canones imponatur; ac si negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus juret; si servus autem, super 12. vomeres ferventes se expurget; convictus noxa usque ad ultimum vite tempus militia cingulo careat, & absque spe conjugii maneat.* Ex quibus expressè deducitur, purgationem per ignem sacris canonicis esse permissam. Pro cuius canonis expositione dicendum est, usum purgationis vulgaris per duellum, aut per ignem olim apud varias nationes receptum, in aliquibus Conciliis Provincialibus fuisse toleratum, usque dum per Cælestinum, Innocentium, & Honorium in præsentis titulo relatos omnino fuit prohibitum iudicium purgationis vulgaris. Unde textus in d. can. 24. accipiendus est juxta usum antiquum Ecclesiæ Gallicanæ. Unde Gratianus in d. c. Presbyterum, & Raymondus in dicto c. 2. de penis, omiserunt ea verba: *Super duodecim vomeres se expurget*; quia jam eo tempore prohibita erat purgatio hæc vulgaris: quo modo etiam exponendi sunt textus in cap. 1. de purgat. canonic. pro ut illi transcripti ex Concilio Triburienti. Concilium Salegust. can. 7. & 14. Concil. Lateran. sub Alexandro III.

7. Traditur ratio de videndi.

8. Dissolvitur dubitandi ratio.

9. Exponitur can. 24.



xandro III. p. 3. de simonia cap. 3. in illis verbis: Pro examinatione ignis, & aqua. Illud tamen notandum duxi, purgationem hanc ferri candentis plerumque inungi feruis, & monachis; quia illi ob conditionem, isti verò ob statum per duellum purgari non poterant. Nec inficiari potest, olim Ecclesiam, etiam in rebus sacratoriibus ignis iudicio usam fuisse, veluti in reliquiis veris agnoscendis. Concilium Cæsar august. 2. can. 3. ibi: Statuit sancta Synodus, ut reliquie, que in quibuscumque locis de Arriana heresi invente fuerint prolate, à sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus presentata igne probentur. Quem canonem latè exponunt Baronius anno 596 Ferrandus in disquisitione reliq. lib. 2. p. 3. cap. 1. cum sequent. quo etiam iudicio usus fuit B. Dominicus in disput. cum Albigensibus; & Toleti dum ageretur de recipiendo officio Romano, relicto breviario Mocaraya, ut referunt Baronius anno 1080. num. 72. Iulianus Petri in advers. sub anno 1086. num. 600. & etiam in Hispania mos erat decidendi lites per iuramentum præstitum in Ecclesia Sanctorum Vincentii, Sabinæ, & Christeres: in urbe Abulensi, & in civitate Burgenfi in Ecclesia S. Agathe, ut refert Yepes tom. 1. chron. Divi Benedicti, cent. 1. anno

Christi 555. quod postea prohibitum fuit in l. 67. Tauri. ibi: Ningun juramento. aunque el juez lo mande hazer, ò la parte lo pida, no se haga en san Vicente de Abila, ni en el herrojo de santa Gadea, ni sobre altar, ni cuerpo sancto, ni en otra Iglesia juradera, so pena de diez mill maravedis para la nuestra camara y fisco, al que lo jurare, y al que lo pidiere, ò demandare. Similis consuetudo invaluerat Mediolani, ut constat ex D. August. tom. 2. epist. 137. Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felix Holsis corpus conditum est, quo volui ut pergerent, quia hinc nobis fascilius, fidelisque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propositum, nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter demones consistunt, furem quandam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsus fuisse confiteri furtum. Eiusdem officii Romæ vigentis ad sepulchrum Sanctorum Procelli & Martiniani, testis est D. Gregorius homil. 32. in Evarg. & de sepulchro S. Pancratii item Romæ agit Gregorius Turon. de gloria Martyrum cap. 38. Videndus Tamayo à Salazar. tom. 5. mart. tyr. die 27. Octobr.

## TITULUS XXXVI.

### De iniuriis, & damno dato.

#### CAPVT I.

<sup>a</sup> In Exodo.



**S**irixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto; si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, <sup>b</sup> innocens erit qui percusserit; ita tamen, ut opera ejus & impensas in medicos restituat.

#### NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **E**xodi. Ita etiam legitur in prima collectione, ne, sub tit. de damno dato, cap. 1. & verba hæc reperiuntur in cap. 21. Exodi, vers. 18. & 19. & pro hujus inscriptionis illustratione repetenda sunt quæ adduxi in cap. 1. de adulteris.
2. <sup>b</sup> **Innocens.** Id est immunis, & liber à poena mortis, quia hoc indicio, quod percussus post acceptam plagam foris ambulaverit, præsumitur mortem ejus non ex percussione, sed aliunde evenisse, ut exponit Cornelius à Lapide in dict. cap. 21. Exodi.

#### COMMENTARIUM.

3. **L**icet cum homo mortuus est, aut membro mutilatus, poena talio sit, tam ex lege Moysis relata in d. cap. 21. Exodi Genesis cap. 9. vers. 6. quam ex lege duodecim Tabularum, ut auctoritatibus, & exemplis illustrat Beyerlinch verbo Talio, Philippus Camerarius cent. 1. horar. success. cap. 99. Fornerius lib. 2. select. cap. 29. tamen cum vulneratus est, propter damnum acceptum, quia nulla

parte corporis mutilatus est, sed tantum damnum accepit, & quia in lecto jacuit, operas amittit, ac impensas in medicos fecit, tenetur qui damnum dedit tam ad operas, quam ad impensas in medicos factas præstandas. Vlpianus in l. sed & si, in fine, cum sequenti; & l. quæ actione, ff. ad leg. Aquil. ubi proposita quæstione futoris, qui maledicenti puero ingenuo filiofamilias formæ calcei cervicem percussit, ut oculus penè perfunderetur, postquam docuit non aliâ actione futorem teneri, quam Aquilæ legis, subjungit: Quæ actione patrem consequatur, quod minus ex operis filii sui propter vitiatum oculum sit habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerit. Et Gajus in l. finali, ff. de his qui de jecerunt, ait: Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum, effusumve erit, laesum fuerit, iudex computat mercedes medicis præstas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est, ob id quod inutilis est factus. Iustinianus in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex quasi delicto, ibi: Ob hominem liberum occisum quinquaginta aureorum poena constituitur; si vero vivat, nocitumque ei esse dicatur, quantum